



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

34. An inquisitores citando reum simul eodem tempore cum Episcopo, sint
Episcopo præferendi? Ex part. 4. tract. 8. res. 47.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitor. Ref. XXXIII. &c. 429.

de Vitalinis num. 162. Vmbertus Locatus in praxi Inquisitor. ver. Inquisitor. num. 19. & hanc sententiam docet etiam Sanctarellus tract. de heresi, cap. 60. dub. 3. num. 21.

2. Notandum est tamen hic obiter quod quando Inquisitores incidunt in supradictam excommunicationem, non possunt absolvi, excepto à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis. Vide Simanc. in cathol. instr. tit. 34. n. 40. & Penam. in direct. Inquisitor. par. 3. comment. 73.

RESOL. XXXIII.

An Inquisitores possint subdelegare causas heresi?

Et an delegatus Inquisitoris possit subdelegare? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 18.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, quia delegatus Principis potest subdelegare, ut patet in cap. super questionem, de officio deleg. & notat Eymericus in direct. Inquisitor. par. 3. quest. 15. §. Respondemus, & ob quas causas possit subdelegare. Vide Penam eadem part. 3. comm. 61. §. sed jam. Imò potest etiam sibi Vicarium, seu Commissarium substituere, ut docet Thom. Trevisanus lib. 1. decis. 66. num. 4. & seq. Sed an delegatus Inquisitoris possit subdelegare, anceps est questio, de qua vide ea quæ adducit dictus Peña part. 3. comm. 64. §. Hæc tamen ratio. Vide etiam Molinam de just. tract. 5. disp. 18. num. 7. Azorium tom. 1. lib. 8. cap. 8. quest. 10. & Scaccia de iudic. tom. 2. lib. 2. cap. 9. quest. 2. n. 641. & seq. ubi satis firmat jurisdictionem DD. Inquisitorum circa delegandi potestatem, & Commissarios substituendi.

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores citando reum simul eodem tempore cum Episcopo, sint Episcopo præferendi Ex p. 4. tract. 8. Ref. 47.

§. 1. **C**itatum ab Inquisitore & ab Episcopo eodem tempore posse adire quem maluerit, docet Molina de instr. tract. 5. disp. 20. num. 7. qui conatur validissimis rationibus hanc sententiam firmare. Imò Io. Rojas singul. 44. num. 7. putat Ordinatio parentum esse.

2. Sed in tali casu debere citatum coram Inquisitore comparere si Episcopus procedat adversus reum jure proprio, non autem ex delegatione, tenet Peña in direct. Inquisitor. par. 3. quest. 5. comment. 54. Simanca in cathol. instr. tit. 43. num. 13. Paramus de orig. Inquisitor. lib. 3. quest. 4. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 18. §. 8. num. 69. & alij, quia jurisdictio Inquisitoris tanquam delegata est major ordinaria Episcopi; ergo, &c. Vnde Michaël Zanardus in direct. Theolog. part. 2. cap. 9. §. 13. sic ait: Si Episcopus & Inquisitor compatibilia ad invicem præcipiant, v.g. ut reus uno die, vel hora coram se compareat, & Inquisitor altero die, vel hora, reus tenetur utrique obedire. Et si Episcopus primo die citans reum illum in custodiam poneret, nec altero die ad Inquisitorem iret, Inquisitor posset illum repetere & obtinere ab Episcopo, quamvis prius fuerit ab eo citatus. Si verò præcipiant incompatibilia, ut v.g. quod reus eadem hora coram utroque compareat, vel quod familia unum capiat altero jubente ne capiatur, & in similibus, erit Inquisitori ut delegato, & majori in hoc Episcopo parendum. Ita Zanardus. Nihilominus audio in praxi observari ut sit præventioni locus, juxta Clementinam 1. de heret.

3. Verum hæc questio in nostra Hispania non habet locum, nam ibi, ut supra dictum est, soli Inquisitores processus formant adversus reos in rebus fidei, ac quæ hic proinde ipsi soli sunt, qui eos citant, non verò Episcopi, quod si Episcopus edicta contra hæreticos in Hispania promulgare non permittitur, multo minus permittetur illos citare ut coram se compareant, & ita observat Molina ubi supra de just. tom. 5. tr. 5. disp. 29. n. 17. Et ita novissimè post hæc scripta docet etiam Soula in aphorism. Inquisitor. lib. 1. cap. 2. n. 13. ubi testatur de praxi Regni Lusitanie, sic enim ait: Si Episcopus procedat autoritate delegata, & pro tempore incompossibili citer simul cum Inquisitore, potest citatus eligere coram quo comparere velit secundum juris communis rigorem. In hoc tamen Lusitanie Regno probabilius est debere se Inquisitori præsentare. Ita ille, & ego.

RESOL. XXXV.

An Inquisitores debeant citare absentem trina citatione? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 80.

§. 1. **A**d hanc questionem respondet Ferdinandus de Castro in oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 4. n. 3. ubi sic ait: Hæc citatio, si rigorem spectemus, unica sufficit, quæ tribus æquivaleret signato termino competenti & peremptorio ad comparandum quia nullibi habetur expressè in hoc casu trinam expostulari, præcipuè cum in hoc crimine non ardeat iudex solemnitatibus à jure aliis requisitis. At ex consuetudine adversus absentem contumacem trina citatio expediti solet, signato in qualibet illarum termino competente, ut sic processus & sententia magis iustificetur. Ita ille, qui citat Rojas, Paramus, Farinacium & Simancam.

2. Verum ego non desinam hic apponere verba Instructionis Hispanicæ anno 1484. n. 19. ubi sic statuitur. [Si a los Inquisidores pareciere que el delicto contra algun ausente se puede cumplidamente provar lo citen por edicto, para que venga a alegar y a mostrar su inocencia dentro de treynta dias que vayan por tres terminos de diez en diez dias o les den otro mas largo tiempo si vieren que cumple segun la distancia de los lugares, adonde se presume o deve presumir que estan los tales citados, y citar los han para todos los actos del dicho processo hasta la sententia definitiva inclusivè.] Hæc ibi, quæ verba fuerunt in jure, nam non solum ad contestandam litem & firmandum processum citatio est necessaria, sed multo magis ad sententiam pronuntiandam, & ideo dicitur in dicta instructione, [Citarlos han para todos los actos, &c.] Vide Penam in direct. par. 3. comm. 40. Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 38. Paramus de orig. Inquisitor. lib. 3. §. 4. & alios penes ipsos.

RESOL. XXXVI.

An Inquisitores possint citare, & capere reum in alieno territorio sine literis subsidialibus Dominorum? Et an idem dicendum sit quoad Dominos spirituales saltem in Hispanica Inquisitione, quales sunt Episcopi, & Inquisitores? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 7.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, & quoad Dominos temporales, res est clara, quia hæresis est crimen meri fori Ecclesiastici, quod privativè quoad laicos spectat ad Inquisitores, quibus sunt subditi, non solum iudices prælatorum dominorum, sed ipsimet domi